DE CAUSIS CACHEXIARUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCILIANDOS
DIE II. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS BISSCHOPINCK
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
M. CRUSE, MED. ET CHIR. DR.
A. FREJ, MED. ET CHIR. DD.
H. ZUMNORDE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

OPTIMO DILECTISSIMO SUMMOPERE SIBI COLENDO

LUDOVICO NIEDIECK

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

IN

ANIMI GRATISSIMI DOCUMENTUM

CUM

PERPETUAE FELICITATIS

VOTO

PIA MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

DE CAUSIS CACHEXIARUM.

Accurata cachexiarum definitio eo difficilior, quo generalior earum natura atque indoles est. Quare etiam plerique pro sua quisque ratione, qua id genus morborum consideravit tractavitque, in definitiones plane diversas discesserunt. Celsus (1) cachexiam sub tabis speciebus comprehendit et tabes ei est generatim nutritio depravata. Aretaeus conjungendam cum cachexia morbi universalis rationem complectitur, dum ait: „Nascitur longo tempore, neque ab uno corporis vitio, nec ab uno viscere, sed est omnium in deterius conversio." Strasbourg (2) ita definit: „Est in genere quaeque cutis partiumque subcutanearum mutatio a statu naturali in praeternaturalem; in specie vitium, quo corporis ambitus habitusque ob inconvenientem nutritionem et pituitae stagnationem in album, pallescentem, subtumi-

(1) Liber III. Cap. 22.

(2) Dissertatio de cachexia. Lugd. Bat. 1799.

dum et laxum degenerat." Ex Schwarzii (1) sententia est: »nutritio totius corporis depravata cum habitu turgidulo, colore florido deperdito etc." Auctore F. Hoffmann (2): »cachexia est pravus et subtumidus corporis habitus cum foedo colore, qui a vitiosi seri abundantia viscerumque tono dejecto oriundus, singulas corporis functiones perturbat et labefactat." Wedekind (3) adauctae in putredinem propensioni causam cachexiae generalem imputat. Alii aliter definierunt. Nonnulli omnem cachexiarum definitionem praetereunt et satis habuerunt, id morborum genus variis symptomatibus, quibus conspiciuntur, delineare. Rursus alii cachexias et cacochymias discernunt, cachexias, a κακῆ ἕξι, potius vitiosam mixtionem partium solidarum, cacochymias, a κακῷ χύμῳ, vitiosam mixtionem fluidarum esse voluerunt. Tamen cachexiae et cacochymiae certis finibus separari nequeunt; nam solidarum partium conditio a fluidarum, sicut fluidarum a solidarum conditione dependet. Itaque cachexia cacochymiam et viceversa cacochymia cachexiam provocat. Multi etiam de cachexiis ne verbum quidem fecerunt, ut plane eas omittere videantur; pathologi solidarii ab actione nervea, Browniani ab incitamenti deviatione cuncta repetentes causam materialem penitus negligunt; pathologi humorales in vitium contrarium incidunt.

Comparatis illis, quas supra attuli, aliorumque celeberrimorum medicorum definitionibus, cachexias hoc

---

(1) Dissertatio de cachexia. Ienae 1715.

(2) Opera omnia. Tom. III.

(3) Ueber die Cachexie im Allgemeinen und die Hospitalcachexie ins Besondere. Leipzig 1796.

modo definiturus esse mihi videor. Cachexiae sunt morbi chronici, qui neque uno corporis vitio, neque uno viscere nascuntur, sed universales productiones, ita quidem, ut sanguificatio et assimilatio vitiosa sit, nutritio organismi non obiter, sed continenter et in totalitate magis magisque prosternatur, qua re malus corporis habitus, scilicet pallidus, flavus, viridis, terreus color cutaneus, laxa solida, marcores vel morbosae intumescentiae oriuntur. Quibus perpensis facile morbi cachectici ab omnibus aliis discerni possunt, in quibus similia phaenomena observantur, ita ut eorum varias species enumerare supervacuum esset. Tamen animadvertere placet, omnes inflammationes chronicas et asthenicas cachexiis adnumerandas esse; nam inflammatio asthenica revera, ut ita dicam, inflammatio cacochymica est. Itaque cachexia, quae inflammationem asthenicam subsequitur, partim causa, partim effectus inflammationis vel perturbatae partis inflammatae functionis est. Itaque icterus modo in cachexiis, modo in alio morborum genere habendus; quare si exempli gratia spasmo simplici ortus est, ad cachexias non pertinet. Plurimis ejusmodi morbis in lingua germanica denominatio »Sucht« attribuitur, quod decursum chronicum jam significat.

Cachexiarum causae ab aliorum causis non differunt, sed ex definitione intelligitur, eas praecipue reproductionem corripere neque vim obiter, sed continenter exercere. Quamvis autem qualitates propriae virium vitalium, quae reproductionem directe et indirecte moderantur, nobis obscurae sint, singulos saltem processus reproductionis ex physiologia cognovimus, ut processum vegetativum ab initio usque ad finem persequendo et

singulas ad eum pertinentes, quae functiones moderantur, conditiones contemplando varias cachexiarum causas et praedisponentes et occasionales aestimare possimus.

Praedispositio vero ad cahexias sive causa interna e morbi materia aliqua vel peculiari humorum conditione, quae a parentibus ad liberos translata in corpore abscondita lateat, nequaquam proficiscitur. Etenim qui fieri possit, ut ea materia tam diu occulte in corpore remaneat, quippe cum organica materia perpetuo usu mutetur et consumatur; quaque omnino ratione haec materies cum fluidis vel solidis corporis partibus admisceatur, cum inter sanguinem matris et embryonem nulla conjunctio sit. Sed materia, quae diversa in diversis cachexiis invenitur, potius productum praedispositionis, quam ipsa praedispositio est. Praedispositio morbus non est vocandus, sed est conditio quaedam corporis, quae momentis occasionalibus serius accedentibus ad aegrotandum et ad producendas conditioni illi convenientes materias morbi illud inclinatum facit. Ex tota igitur constitutione praedispositio provehitur eademque de causa maxime momenti summaque attentione digna est. Prae omnibus aliis vero praedispositio haereditaria et innata non haereditaria respicienda est, de qua recte vereque Gaubius (1) dicit, eam maximum illud morborum seminium, malum saepe insanabile esse atque maxime timendum, quum morbi, qui inde oriantur, homini, quem per totam vitam cruciant, insiti ejusque naturae intime quasi consociati sint.

---

(1) Gaubii institut. patholog.

Aetas. Quemadmodum virtutes corporis et animi a parentibus ad liberos transeunt, ita etiam cachexiae, licet praecipua causa occasionalis non detur, ex haereditatis lege ad prolem propagari, exempla docuerunt. Nec raro infans, qui alterutri parentum similis est, ejusdem etiam morbos quasi haereditate accipit et si parentes vitam lascivam egerint, multa incommoda inde proli oriuntur.

Parentum rhachiticorum, praecipue matris rhachiticae, infantes eodem morbo laborantes conspicimus, praecipue ubi parentes debiles, decrepiti fuerint vel veneri nimis indulserint. Ita scrophulae vel in nepotes propagantur; ita scirrhus et cancer et gravis illa in haemorrhagias propensio et arthritis a parentibus in liberos transire videntur, quae quidem arthritis non sine causa etiam cachexiis adnumerari potest. Imo tota stirps criminum, quae majores commiserunt, poenas mala valetudine luit; atque etiamsi fieri possit, ut hi illive forsitan morbo vacuissent, tamen posteris non parcitur; ac exemplis multis firmatur, morbum gentem praeterire et, parentibus non affectis, saepe ab avo ad nepotem et a patruo in fratris filium propagari. Eademque ratio phthiseos est. Verum quidem est, liberos eisdem saepe, quibus parentes, causis occasionalibus ad cachexias provocandas expositos esse, eandemque, quam parentes, diaetam et cetera adhibere; interdum etiam liberi, licet vitae eorum ratio longe alia sit, quam parentum, in cachexias, quibus hi laboraverunt, incidunt. Neque mirum; nam ex tota constitutione, proli in generatione et conceptione tradita, causa quaerenda est.

In ipsarum materiarum, e quibus embryo gignitur, vitiosa mixtione ad cachexias dispositio posita est. Embryo animatus per se vivit et per vim vitalem suam propriam sanguinem totumque organismum gignit. Cujus vis vitalis vero qualitas ab mixtione materiarum, e quibus orta est, et vice versa mixtio materiarum, quas vis illa genuit, ab ejus qualitate dependet; nam, ut physiologia docet, cum virium mutatione etiam mixtio partium et cum quaque mixtionis mutatione semper etiam vires mutantur. Itaque cum productum cum materiis, e quibus producitur et vi, quae producit, semper congruat, totus organismus ob vitiosam materiarum, e quibus ortus est, conditionem et ob vitiosam, quae genuit, vim vitiosus fiat necesse est. Sed qualitates vitiosi organismi nescimus. Eadem ex causa verisimile est, animi pathemata aliasque nervorum affectiones in gignendo ad futurum embryonis organismum vim habere; nam nervorum affectiones semper mutationes materiarum secum ducunt. Dum embryo utero inclusus est, multae res facile impedire possunt, quominus vegetatio et formatio recte fiat. Respirat embryo sanguine materno, quam ob rem matris gravidae morbus dispositionem aliquam in cachexias proli parare valet; neque minus, postquam proles partu edita est, aër depravatus cachexiam procreare potest. Dispositio vero ex matris morborum ratione ac varia graviditatis periodo, in qua morbi in fructum vim exercent, varia fit; nam cum embryonis systemata non uno quasi ictu, sed certo ordine formentur, etiam vitiosa processus formativi ratio, quae in certis graviditatis periodis conspicitur, semper ad singula systemata et organa

majorem vim habeat, eaque de causa modo ad hanc, modo ad illam cachexiam dispositio oriatur necesse est. Quae dispositio vocatur innata non haereditaria et fortasse minus periculosa est, quam haereditaria, cujus quidem principia materiarum et virium vitiosa sint. Ceterum quaeque dispositio gravissima ac saepe insanabilis est, et eruptio in morbum saepe nullo modo praecaveri potest; quod, lege haereditatis demonstrata, mirum non est. Vis enim vitalis, quae embryonem ex principiis format et variam organismi mixtionem constituit atque aberrans morbos gignit, cum a materiis dependeat, medicaminibus non aliter dirigi potest, quam si materiarum, e quibus dependet, mixtio mutetur. Cum vero neque mixtionis qualitatem neque effectum medicaminum, quae omnia mixtionem corporis mutant, nesciamus, sanandi conatus saepissime frustrantur. Eam ob causam scrophulas sanare non valemus, quia eam solidorum et fluidorum mixtionem, quam evolutio in pubertate provocat, nulla arte efficere possumus. Itaque mirum esse non debet, id medicamen, quod alii in cachexia aliqua maxime laudant et specificum vocant, alii sub eadem indicatione adhibentes repudiant et noxium rejiciunt; nam cum corporis mixtio in iisdem cachexiis apud varios homines varia sit, etiam vis medicaminum alia erit; indicatio vero facile fallit, quia neque ex habitu corporis, neque ex signis aliis mixtionem unquam accurate significare possumus. Ex diversa totius variae aetatis mixtione organismi verisimile etiam causa quaerenda est, cur plurimae cachexiae homines, ubi certam aetatem nacti sunt, invadant; quin aliae hanc

legem non excedunt, ut plane certam aetatem sibi vindicasse videantur.

Phthisis pulmonalis, quae pubertatem maxime afficit, fortasse non sola sanguinis ad pulmones congestione hac aetate adaucta provocatur, sed insuper peculiaris productivitas ad excitandum morbum vim habet. Ceterum majores ad pulmones congestiones ex totius constitutionis vitiis proficiscuntur. Quae cum ita sint, neque diaeta neque rerum vitatione earum, quae congestiones ad pulmones excitare possunt, semper impeditur, quominus morbus erumpat. Sed aetate atque cum ea etiam productivitate et mixtione, quae cachexiae convenit, cessante, corporis natura vel sponte morbum interdum sanat, nisi organismus nimis sit prostratus. Sed dispositio semper manet et accedentibus causis occasionalibus iterum in morbos erumpere potest, quae tunc vero interdum multo pertinaciores esse solent. Quae omnia in scrophulis observamus. Quae quidem in infantia et pueritia, qua systema lymphaticum praevalet, erumpere et initio pubertatis evanescere solent, sed anno aetatis vicesimo secundo interdum recrudescunt ac tunc pertinacissimae sunt. Ita raro alicui e stirpe phthisica nato, postquam aetatem, quae phthisi convenit, i. e. tricesimum fere vitae annum excessit, diaetam salubrem tenenti phthisis saepe parcit; et post illum annum erupta tardius decurrere solet, quum e contrario scrophulae vehementius decurrant. Cujus rei causa in eo posita esse videtur, quod productivitas infantiae et pueritiae scrophulis magis convenit, quam pubertatis productivitas phthisi. Sed de hac re, quum de aetate copiosius disputaturus sim, plura disseram.

Aetas ad praecipua momenta cachexiarum causalia pertinet. Sua cuique autem aetati propria est cachexia, ut experientia docet, nec aliter fieri potest, cum quaelibet propria constitutione gaudeat. Maxima vero dispositio in evolutionis periodis observatur, in quibus productionis mutationes tum maxime conficiantur, et alias partium solidarum et fluidarum mixtionis rationes secum ducant. Omnino igitur contendi potest, quo major variarum aetatum sit evolutio, eo majorem cachexiarum numerum esse. Ita scrophulae et rhachitis in infantia et pueritia, phthisis et chlorosis in pubertate, arthritis, scirrhus et cancer, marasmus, hydrops in aetate virili et senili praecipue enascuntur. Sed mittamus de harum morbi formarum ortu disquisitiones et ad succinctam cachexiarum, quae certis vitae periodis adscriptae sunt, enumerationem transgrediamur.

Infantia et pueritia magnam cachexiarum copiam praebet, quia multae ejus aetatis evolutiones tot tantisque rebus tam facile turbari possunt. Productivitas prae irritabilitate praevalet, materiae celerrime consumuntur et reficiuntur; organismus nondum perfectus, sed magis magisque increscens, habitus corporis laxus et tener est. Insuper ea aetas noxiis momentis per primas vias imprimis exposita est; et magna infantiae morborum copia productionem eximie turbare potest; ita compertum habemus, morbillos, vaccinas et alias res scrophulas, si dispositio aliqua adsit, provocare. Maximae vero mutationes jam in partu occurrunt. Cutis enim post partum novo medio circumdatur, respiratio fit alia via, quae ubi incipit, multa organa, ut pulmones, functiones subeunt. Qua re functiones aliorum organorum mutantur; hepar,

glandula thymus etc. ambitu decrescunt; tractus intestinorum aliud spectat, cum nutritio per os fiat. Mutatio circuli sanguinis post partum, nisi secundum naturae leges absolvitur, cachexiam, cyanosin, profert, foramine ovali aut ductu arterioso Botalli non clausis. Mutatio obvia circuli sanguinis in hepate recens natorum et aliae causae nondum ad amussim explicatae icterum et erysipelas neonatorum proferunt; etiam induratio telae cellulosae, cujus causa quidem constituta non est, ad cachexias numeranda est. Productio quoad qualitatem mutata in infantibus multifarias cachexiarum species, in cute impetigines et exanthemata multiplicia, in systemate lymphatico scrophulas, in ossibus rhachitidem exhibet.

In pubertate productivitas minus quam in infantia et pueritia, praevalet et cetera corporis systemata magis magisque exculta videntur; quam ob rem cachexiarum, ad quas haec aetas disponit, numerus non ita magnus est. Scrophulae interdum graviores evadunt, de quibus supra jam diximus. Ex majori ad genitalia humorum affluxu in hac aetate, qui instinctum naturae excitat atque ad animum magnam vim habet et in sanguineo systemate perturbationes, in aliis partibus humorum stagnationes, in aliis majorem affluxum efficit, multae cachexiae originem ducunt. Phthisis pulmonalis huic aetati imprimis propria est, sed magis etiam chlorosis ei convenit, quam Brandis prae ceteris cachexia pubertatis merito nominat, et, ut docuit idem, non ad sexum sequiorem solum a decimo quarto usque ad duodevicesimum vitae annum pertingit.

In aetate virili corpus crescere desiit, energia est major, productivitas multo minor. Itaque haec aetas,

in qua cum evolutio haud magna sit, ad cachexias parum modo disponit. Fungus vero medullaris huic maxime periodo infestus est. Sed cur cachexia, quae fungo subjacet, hac aetate praecipue erumpat, sicut scirrhus aetati senili sit proprius, vere dici non potest. Progrediens vero aetas magis magisque ad cachexias disponit; nam nova evolutio, qua in aetatem senilem transit, incipit. Ita stagnationes imprimis in vena portarum oriuntur, de qua dicit Stahl: vena portarum est porta malorum. Revera omnes fere hujus aetatis morbi abdomen invadunt et etiam plurimae cachexiae in eo parantur.

In aetate senili jam cachexiae quarum dispositio in antecedente aetate parata erat, erumpunt. Ob secretiones vero vitiosas et mixtiones humorum peccantes haec aetas pluribus cachexiis laborat. Reproductio in dies tardior et assimilatio imperfectior fit atque imminuitur, adeps evanescit, sensibilitas et calor animalis imminuitur, quam ob rem magna inclinatio ad humorum spissitudinem et stagnationes oritur et vis, quae corpori ad propulsandos externos impetus omnino necessaria est, semper minor fit. Quam ob rem hydrops, arthritis, diuturni catarrhi, pruritus universalis, ophthalmiae, marasmus, gangraena etc. huic aetati sunt. Sed et scirrhus et cancer huic periodo est. Denique membranae fibrosae recepta calce phosphorica facile rigescunt. —

Sexus sequior ob majorem productivitatem et sensibilitatem habitumque omnino teneriorem, qui infestis rerum externarum impetibus minus resistere potest, et partium structuram infantum organismo similiorem, conceptionem, graviditatem, lactationem, insuper ob propriam evolutionem, quam menstruatio secum ducit, et plures cachexias

et crebriores praebet, quam sexus virilis. Alias cachexias saepius sexum virilem, e. g. arthritidem, alias sexum muliebrem, cancrum, alias nonnisi fere sexum foemineum, chlorosin, invadere, quotidiana observatione docemur. Organismus foemineus cum ob majorem productivitatem et celeritatem, qua incrementum absolvitur, ossium et fibrinae formatio retardetur et negligatur, organismo infantum magis respondens etiam cachexiis infantiae atque pueritiae saepius et vehementius laborat. Rhachitis in sexu muliebri frequentius occurrit, quam in virili; quin alius ossium morbus, emollities ossium, hucusque in mulieribus solis observatus est. Recte igitur F. Hoffmann (1) habitum corporis spongiosum, ideoque sexum sequiorem ad cachexias dispositum et propensum esse contendit. Ex causis allatis corpus foemineum in hydropem etiam magis inclinat. Cancer foeminas potius aggredi videtur. Chlorosis praecipue tempore, quo menstruatio venit, oritur. Phthisis pulmonalis gravidae mulieris non progreditur, sed partu edito eo vehementius abripitur. Lactatio nimia cachexias advehere potest. Alias cachexias menstruorum cessantium periodus advehit, qua quidem scirrhus et cancer frequentissimus est. Virorum fortasse ex omnibus cachexiis in arthritidem maxima propensio est.

Temperamenta ad quasdam cachexias disponere possunt. Prae omnibus vero temperamentum phlegmaticum iis aegrotat. Quod maximam omnium functionum debilitatem, parvam receptivitatem atque ener-

---

(1) cj. opp. omn. Tom. III.

giam, exiguam animalisationem, fibra laxa, praevalens systema serosum atque lymphaticnm praebet. Quam ob rem hydrops, chlorosis, scrophulae, stagnationes, morbi pituitosi in eo temperamento frequentius occurrunt. In temperamento melancholico ob exiguam receptivitatem, nimiam fibrae cohaerentiam, humorum spissitudinem, et ad hypercarbonisationem propensionem crebrius invenimus arthritidem et icterum. Minorem praedispositionem ad cachexias reddit temperamentum cholericum, quod magna sensibilitate et irritabilitate excellit; ad arthritidem et icterum aliquo modo inclinat. Minimam praedispositionem exhibet temperamentum sanguineum, quod ob praevalentem sensibilitatem potius morbis acutis et spasmodicis aegrotat.

Aër, pabulum vitae vulgo dictus, ad vitam atque sanitatem servandam omnino necessarius est et gravissimam vim in corpus humanum habet; cujus inopiam vel inconvenientes mixtiones celerrimam adeo mortem et alia ejus vitia tabem sanitati sensim sensimque inferre constat. Multae cachexiae maximam partem ex varia aëris quantitate et qualitate originem ducunt. Aliis regionibus alias cachexias esse quis est, qui nesciat. Atque nonnullae regiones quibusdam cachexiis adeo carent, ut ad eas sanandas aegroti illuc mittantur. Ita Lusanna, Massilia, Lisbona, Madeira, Messina et aliae regiones in eximia laude sunt in phthisi pulmonali. Propter aërem vario modo mixtum alios homines, aliam vitam degentes, aliis etiam cachexiis vexari, nautarum, agricolarum etc. exempla docuerunt. Quam ob rem in contemplandis cachexiarum causis aër et quoad quantitatem et qualitatem valde respiciendus est. Nocere potest calore,

electricitate, luce, gravitate, elasticitate, densitate, motibus vitiosis; insuper chemice, dum aut partes eum constituentes, oxygenium, azoticum, carbonicum etc., vel nimio modo auctae vel diminutae aut substantiae alienae ei admixtae sunt.

Calor expandit corporis partes solidas et fluidas, minuit fibrae cohaerentiam atque energiam, sed auget sensibilitatem et accelerat motus; imminuit appetitum edendi atque digestionem debilitat; vis respirationis in sanguinis oxydationem non succedit, quare sanguificatione imperfecta sanguis minus fibrinae continet et ad decompositionem inclinatus est. Insuper facillime stagnationes, imprimis in vena portarum et perversa bilis secretio oriuntur. Itaque calor continuus ictero, saepeque morbo maculoso Werlhofii, et aliis cachexiis nocet; contra phthisi pulmonali, quae saepe tempore aestivo non progreditur, et aliis cachexiis saluberrimus esse videtur. Respicienda tamen est praeter calorem etiam mixtio propria aëris aestivi. Praeterea cogitandum est, utrum calor sit siccus an humidus; nam effectus est varius.

Frigus humores ad partes internas pellit, irritabilitatem auget; sed vehemens et continuum, imprimis cum debiles et eos, qui vitam sedentariam agunt, afficit, circulum sanguinis et respirationem tardiorem facit, calorem animalem minuit, accumulationem sanguinis in partibus internis, debilitatem partium solidarum, malam nutritionem et ita multas cachexias, ut hydropem dicam et scorbutum, provocat, qui eam ob rem etiam hyeme et septentrionalibus regionibus frequentes sunt.

Aër humidus laxat fibrinam, secretiones, imprimis

cutis et pulmonum. resorptionem per cutem auget; sanguinis fluxus tardior, debilior fit, facile stagnationes et accumulationes humorum succedunt; oritur dyscrasia aquosa, pituitosa etc. Quam ob rem aër humidus infantibus, mulieribus et phlegmaticis valde noxius est et rhachitidi, scrophulis, morbis pituitosis, morbo maculoso Werlhofii, chlorosi, hydropi, scorbuto aliisque cachexiis copiam facit. Aër siccus cachexias procreare potest, quia exhalationes auget, circulum sanguinis omnesque functiones accelerat. Ita primo phthiseos pulmonalis stadio nocet, sed laxis corporibus, infantibus, mulieribus, phlegmaticis, et ob eam causam hydropi, chlorosi, scrophulis maxime convenit.

Nimia aëris pressio dispositionem ad cachexias fovere potest, quia congestiones ad partes internas efficit; ita in phthisi pulmonali, scorbuto, cyanosi, chlorosi valde nocet.

Et chemice etiam aër nocere et prodesse potest, sed de iis tantum potentiis noxiis, quae cum aëre atmosphaerico ea ratione mixtae, ut vitam non subito auferant, tanquam cachexiarum causae prodeunt, loquamur. Quod exempli gratia in carceribus, officinis, nosocomiis aegrotis nimie repletis, navibus vel in terrae regionibus paludibus adjacentibus, ubi aëris pravi effectus minus vehemens diutius permanet, haud raro factum esse scimus. E tali enim aëre impuro vaporibus diversis impraegnato variae cachexiae e. g. scorbutus, petechiae secundariae, hydrops et chlorosis enascuntur, eo celerius, quo saepius lucis calorisque inopia, uti in carceribus, insuper accedunt. Aër, qui multum oxygenii continet, nocet e. g. phthisi pulmonali, convenit scorbuto.

Ita aër in stabulis vaccarum in phthisi pulmonali valde laudatur; sed forte aequalis aëris temperatura hic multum prodest. Postremo etiam venti majoris momenti sunt, qui partim vim habent mechanicam partim chemicam. In multis regionibus nonnisi ob ventos certae cachexiae sunt. Eurus in universum in Germania maxime siccus atque frigidus est et praecipue oxygenio abundans; auster plerumque calidus et humidus est, minusque oxygenii habet; zephyrus humidus et aliquantulo calidus esse solet itemque minus oxygenii habet; boreas frigidus, modo siccus, modo humidus et turbidus et, quod attinet ad oxygenium, euro similis est.

Saepe etiam in climate cachexiarum fons est. Sed quod recte judicari non potest, nisi multae res aliae respiciantur, e. g. cujusmodi sit solum, utrum arenosum sit, an terram calcaream, an argillam, an lutum etc. contineat; qualis regionis irrigatio, situs respectu vicinorum marium, paludum, altitudinis, venti, caloris etc. Quibus rebus expensis, saepe cachexiae endemicae intelligi possunt.

In vitae genere et moribus contemplandis technologias varias et totum statum domesticum noverimus omnino necesse est. Qui situs, quique motus, quos corpus in variis negotiis accipit, cognoscere debemus; insuper omnes res, quibuscum circumdatum est. Quibus rebus cognitis novimus etiam naturam colicae pictorum et facile judicare possumus, cur agricola, statuarius, typographus etc. variis cachexiis afficiantur.

Nutrimenta saepe causae cachexiarum fiunt; nonnullas adeo cachexias, ut scorbutum, quidam medici nonnisi ab iis repetunt. Multi insuper cibi et potus medi-

camina inter et nutrimenta stricte positi sunt et, ut abusus medicaminum, cachexias gignere possunt. Sed de hac re alio loco. Vis vero nutrimentorum et a quantitate et qualitate dependet. E carne alius sanguis paratur, quam ex vegetabilibus. Neque tamen humorum qualitas modo a nutrimentis dependet, sed noxia nutrimentorum indoles maxime a vi vitali, praecique autem a digestione dependet; itaque nutrimenta corpori non convenientia in infantibus, quorum digestionis organa diversis eorum stimulis nondum assueverunt, multo facilius cachexias provocant, quam in hominibus adultis. Imprimis vero qualitas nutrimentorum vitiosa, praesertim si major copia per longius tempus ingesta sit, assimilatione atque reproductione laesa largus horum morborum fons est. Sed longum est. ciborum quorumcunque et potuum in provocandis cachexiis vires altius indagare et quomodo alia nutrimenta aliis cachexiis conveniant, explicare; tamen exempla parca argumentando dicta concedantur. Nimio et irregulari nutrimentorum usu imprimis gravium et digestioni inconvenientium, infantes marasmo, scrophulis, rhachitide invaduntur; praesertim si squalore obtecti vivunt, ut organismo inimicae materiae cute excerni non possint. Parco victu, praesertim pubertatis tempore, quo propter celerius corporis incrementum nutrimenta brevi consumuntur, saepenumero chlorosis oritur. Nutrimenta parca et insuper malae qualitatis non rariores causae petechiarum et morbi maculosi Werlhofii sunt. Nutrimenta nimis excitantia in luxuriosis insuper hominibus arthritidem maxime gignunt et nimius spirituosorum usus hydropem saepe procreat. Motus et quietis abusu facile cachexiae provehi possunt.

Quo enim gradu motus nimii sanguinem vehementius incitant, secretiones augent, eo humores coagulabiles et productionibus spuriis aptos reddunt; et motus justo minores vili humorum elaboratione, secretionibus interruptis et imminuta in pulmonibus decarbonisatione etc. nocent. Hinc chlorosis facile oritur multum sedendo et diutius dormiendo; hinc crebrae invasiones plethorae abdominalis, icteri, hydropis in iis, qui vitam sedentariam agunt; hinc denique arthritidis affectio, si corporis quieti victus lautior accedit. Sed in universum motus et quietis modus ab aetate, constitutione, aliisque rebus dependet. Ita vigiliae repetitae atque protractae praesertim aetati infantili cachexias inducere possunt.

Excretio et retentio humorum inordinata saepe cachexiarum fons est. Nimis magnae et frequentes excretiones humorum debilitatem, maciem atque vegetationis perturbationem et hydropem, marasmum, tabem etc. efficiunt. Sed valde respiciendae sunt qualitates excretorum humorum et in organismo eorum dignitas, cum vis, quam humorum excretiones in processum chemico-vitalem exercent, varia sit: nam quo magis assimilati erant, eo gravior eorum jactura est; ita ut nimia sanguinis detractio celerrime hydropem et alias cachexias efficere possit; insuper de contentione nervorum vel aliarum partium cum excretionibus conjuncta cogitandum est. Huc accedit, quod continuus affluxus ad secernendas partes facile oritur. Nimiam seminis excretionem saepe sequuntur tabes aliaeque atrocissimae cachexiae, quum semen non solum ad propagandum genus hominum, sed etiam ad servandam constitutionem et vires vitales augendas necessarium sit et longo temporis spatio, ut se-

minis jacturam restituat, corpori opus sit. Idem fere damnum muci et lactis et urinae secretio nimia et perspiratio cutanea adaucta eo, quod energiam totius organismi et praesertim productionem debilitant, saepissime attulerunt. Unde brevi post habitus cachecticus corpusque hydrope colliquescens observatum est. Retentiones humorum, praecipue dum eorum partes resorbentur atque in totam succorum copiam reducuntur, cachexias gignere possunt. Ita e bile resorpta icterus; ex urina, ut ita dicam, cachexia urinosa; e respiratione cutanea retenta hydrops originem ducit.

Abusus medicaminum saepe causa occasionalis cachexiarum est. In praxi saepe accidit, ut interdum nesciamus, qui morbi, qui medicaminum effectus sit; memoro solum luem et morbum mercurialem. Medicamina cum nutrimentis id commune habent, quod assimilata in sanguinem recipiantur; sed eo discernuntur, quod mixtionem partium solidarum et fluidarum permutant, ex qua mutatione qualitatis virium vitalium mutatio dependet: contra nutrimenta nonnisi materias animales consumptas regenerant. Itaque in bona partium omnium mixtione nulla mutatio fieri debet, nisi sanitas labefactetur. Multa etiam medicamina in naturali corporis statu aliam vim exercere, quam in eo statu, qui naturae repugnat, exempla quotidie docent. Nam ut opium in plurimis sanis hominibus somnum excitat, sic in multis morbis, ubi aliqua localis irritatio est, somnum non facit. Quam magnam opii dosin porrigimus in trismo et tetano, hydrophobia multisque morbis aliis! Itaque medicamina sanis hominibus nunquam salubria esse possunt, sed semper valetudini noceant necesse est. Imprimis medicami-

num nimis debilitantium abusus, cum succos organismo necessarios detrahendo, tum incitationem corporis ac praecipue organorum secernentium producendo, reproductionem partiumque corporis humani mixtionem perturbare, cachexiamque procreare valet. Nocuerunt hac ratione curae prophylacticae sanguinisque purgatoria, quibus olim medici in corpus humanum irruerunt. Quibus, sicut venaesectioni intempestive factae et aliis rebus debilitantibus multi infantes scrophulas et rhachitidem, multae virgines chlorosin sine dubio debuerunt. De venaesectionibus pro lubitu factis Sprengel in pathologia generali recte vereque dicit: »Languent, quibus sanguis detractus fuit, saepe per longum tempus, incidunt in congestiones, nutritivae, postremo omnium virium prostrationem, denique in cachexias.« Sed maximum damnum multis attulerunt venena. Inter venena et medicamina non absolutum quidem, sed relativum discrimen est; ita ut id, quod veneno alteri, alteri medicamini esse possit. Quare ab aliis scriptoribus res aliae inter venena numeratae sunt. Plerumque vero eae res, quarum copia vel maxime exigua aut internae aut externae corporis parti applicatae magnam et periculosam vim in corpus exercent, venena appellantur. Magnus cachexiarum numerus opificum partim ex abusu venenorum originem ducunt. Etenim alia corrodendo, alia paralysin systemati sensibili inferendo, alia productionem magis insectando, alia denique humores imprimis corrumpendo vires suas exserere videntur. Ita arsenici parvam copiam longo tempore datam, magnam debilitatem, dissolutionem sanguinis, locales paralyses, tabem, febrem hecticam procreare observatum est; sed quod recte et caute

adhibitum multarum cachexiarum maximum remedium est. Hydrargyrum morbum singularem mercurialem gignit. Continuus usus argenti nigras maculas in cute efficit. Alia venena mineralia e. g. plumbum reproductionem prae ceteris afficit, ut pictorum colicae phaenomena adducens, quantitativas praecipue mutationes, scilicet tabem pariat. Phosphori, stramonii, belladonnae aliorumque venenorum vegetabilium, fungorum nonnullorum abusum homines in icterum injecisse exempla exstant. Diuturnus acidi hydrocyanici usus sensibilitatem quam maxime deprimit, sanguinem decomponit, ita ~~ut~~ haemorrhagia narium oriatur. Opium per longum tempus arbitrio sumptum dissolvit humores et adeo colliquationes facere potest. Sed exempla sufficiunt.

Morbos, qui antecesserint, et febres cachexiarum causam frequentem esse et quidem praecipue illas, quae putridae, nervosae, asthenicae, typhosae et paralyticae dicuntur, Brandis recte contendit. Sanguinis habitus peculiaris hujus febrium generis symptoma, processus chemici vitalis affecti est argumentum, sed multo magis status cachecticus, ut hydrops, qui eas insequi solet. Quem porro nonnunquam a crisibus turbatis provocari e. g. scrophulas et icterum e suppressis exanthematibus, hydropem e secretionibus aquosis prohibitis, scirrhum et canrum fortasse ex arthritide anomala proficisci constat. Sed, ut brevi praecidam, omnes morbi, in quibus crises inperfectae successerunt, causae cachexiarum ex rationibus supra dictis fieri possunt. Praeterea debilitas universalis vel unius systematis, desorganisatio organi assimilationi necessarii, ut intumescentiae et indurationes hepatis, lienis etc., morbi cordis, pulmo-

num, ossificationes arteriarum; secretiones morbose auctae, ut fluxus haemorrhoidalis, diarrhoea, fluor albus diuturnus, fluxus coeliacus, suppurationes et exulcerationes, omnes morbi dolorifici cachexias perficere valent. Ceterum plurimi, quos modo nominavi, morbi ex cachexia aliqua proficiscuntur.

Animi pathemata. Cum nervi omnes functiones dirigant et omnes eorum affectiones corpus tum universum, tum singulas potissimum ejus partes affligant certasque mixtionis mutationos excitent, facile intelligitur, quam vim animi pathemata ad morbos gignendos habeant. Imprimis animi motus et affectiones deprimentes magnum in productionem et secretiones imperium declarant et cachexias adducunt. Quis est, qui nesciat morbum illum, quem desiderium patriae provocat. Amor clandestinus, quotidiana sollicitudo, rerumque domesticarum curae crebrae chlorosis causae sunt, quam ideo saepissime in puellis observamus, quibus praematura mors parentes abripuit. Scirrhus et cancer e sollicitudine diuturna haud raro proficisci videntur. Et functiones mentis damna afferre possunt, simulac nimis exercentur, et immodica incitatione vires exhauriunt. Qua ratione lucubrationes repetitae admodum nocent, dum simul somni et motus inopia accedit.

VITA.

Ego ***Carolus Bisschopinck****, Waderslohi, Guestphali pago, anno millesimo octingentesimo decimo tertio a. d. sextum Nonas Quintiles, patre* ***Francisco Josepho****, quem morte mihi ademtum jam lugeo, et matre adhuc superstite* ***Maria Francisca****, e gente* ***Pellenghar****, natus sum. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum elementis in patria imbutus gymnasium adii, quod Monasterii, directore Cel.* ***Nadermann*** *floret, in*

quo per annos quinque studiis humanioribus operam navavi. Examine abiturientium absoluto auctumno anni millesimi octingentesimi tricesimi secundi in universitatem literariam Georgiam Augustam Goettingensem me contuli et ab Ill. Conradi t. t. prorectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, hasce per biennium praelectiones audivi: Ill. Weber de physice experimentali, Ill. Langenbeck de anatomia et chirurgia, Ill. Hempel de osteologia, syndesmologia et myologia et etiam in arte cadavera dissecandi dux mihi fuit, Ill. Blumenbach de historia naturali, Cel. Berthold de physiologia, Ill. Himly de pathologia et therapia generali et speciali ac de oculorum auriumque morbis, Ill. Schulz de logice, Cel. Kraus de materia medica. Auctumno anni millesimi octingentesimi tricesimi quarti almam Rhenanam petii ibique ab Ill. Näke t. t. rectore magnifico inter cives academicos

receptus, ab Ill. E. Bischoff t. t. decano spectabili in facultatis Album inscriptus sum. Sub decursu anni has scholas frequentavi: Ill. Kilian de arte obstetricia et aciurgia obstetricia et de morbis mulierum, Ill. Treviranus de botanice, Cel. Bergemann de chemia experimentali, Ill. Calker de psychologia, Cel. Albers de medicina forensi, Ill. Wutzer de anatomia chirurgica et clinicum chirurgicum et ophthalmologicum adii. Bonna deinde relicta Berolinum auctumno anni millesimi octingentesimi tricesimi quinti profectus a t. t. rectore magnifico Ill. Busch civibus accademicis adscriptus et a facultatis medicae decano spectabilissimo Ill. Mueller in facultatis Album illatus sum. Ab eo inde tempore exercitationibus clinicis et policlinicis Cel. Wolff, Ill. Juengken, Ill. Bartels, Cel. Truestedt interfui. Quibus omnibus viris maximas, quas possum, gratias habeo semperque habebo.

Jam, tentamine philosophico medicoque, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina atque chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. *Apoplexia serosa non exstat.*
2. *Asthma Millari et angina membranacea signis certis inter se distingui possunt.*
3. *Operatio fungi medullaris instituenda non est.*
4. *Nulla datur exanthematum cura, nisi quae febrem respiciat.*
5. *Curam radicalem semper causalem esse oportet.*
6. *Medicus non magister, sed minister naturae est.*